

unione beneficiorum, atque alienatione rerum ecclesiasticarum. Ita Rota, et doctores proxime allegati, cum aliis. Siquidem dismembratio, est vera alienatio honorum unius beneficii, quæ uniuntur alteri. Et hinc.

28. *Et declarantur hæc causæ.* — Ad dismembrationem beneficiorum cum primis requiritur causa justa, et rationabilis: qualis foret necessitas, vel utilitas ecclesiarum, sive augmentum servitii spiritualis; puta, quia una Ecclesia ob tenuitatem reddituum patitur defectum ministrorum, adeo ut parochianis non possit commode satisfieri in administratione sacramentorum; alia vero Ecclesia redditibus abundat: tunc enim poterit fieri dismembratio fructuum hujus Ecclesiæ, applicandorum alteri Ecclesiæ, justa c. *Ad audientiam* 3. *de Eccles. ædificand.* Addit Barbosa, cit. allegat. 67. n. 20. post Lotterium *de Re benefic.* lib. I. quæst. 28. n. 23. quod aliquando sola pinguedo reddituum unius, et exilitas fructuum alterius Ecclesiæ, reputetur justa causa pro dismembratione.

29. *Ad ipsam requiritur consensus capituli cathedralis; et quando secus?* — Deinde requiritur ad dismembrationem beneficii consensus capituli cathedralis: talis enim etiam requiritur ad unionem ecclesiarum, atque alienationem rerum ecclesiarum, cap. 1. *de Rebus Eccles. non alienand.* in 6. Hoc tamen intellige cum Garcia, d. part. XII. cap. III. n. 41. et 42. de dismembratione beneficiorum quoad Ecclesias inferiores, quando episcopus est auctor ipsius dismembrationis: nam quando non episcopus, sed rector inferioris Ecclesiæ non habentis collegium, est auctor dismembrationis (seu alienationis alterius rei) illius Ecclesiæ, tunc sufficit, quod rector alienet cum auctoritate solius episcopi: si tamen Ecclesia illa inferior habet collegium, requiritur etiam consensus collegii, arg. can. *Abbatibus*, 12. q. 4. et 2. can. *In venditionibus*, 17. q. 4. et Clem. 1. juncta Glossa, §. *Proprii. de Rebus Eccles. non alienand.*; Abbas, cap. 1. n. 5. *De his quæ fiunt a prælati, etc.*; Covarruvias, l. II. *Variar. resolut.* cap. XVII. n. 1. Garcias, loc. cit. allegans plures alios.

30. *Requiritur etiam vocatio rectoris aut (si beneficium vacat), constituti defensoris Ecclesiæ.* — Requiritur ulterius ad præfatam dismembrationem beneficii prævia vocatio rectoris, aut (si beneficium vacat) constituti defensoris Ecclesiæ, seu beneficii illius: nam rectoris Ecclesiæ vocatio omnino est necessaria, arg.

c. *Ad audientiam* 3. *de Eccles. ædificand.* idque propter magnum præjudicium, quod eidem per dismembrationem, atque diminutionem reddituum, inferri posset. Si tamen rector vocatus noluerit consentire, poterit episcopus (si justa causa subsit) eo etiam invito procedere ad talem dismembrationem. Barbosa, d. allegat. 67. n. 17, 18, et 20. post Lotterium ubi supra. n. 5. et seqq. et alii. Concordant dicenda inferius n. 78. et 80.

31. *Beneficia curata non possunt dismembrari, ut eorum fructus simplici beneficio applicentur.* — His addendum, quod ordinarius non possit dismembrare beneficia curata, ut eorum fructus simplici Beneficio applicentur. Siquidem concilium Tridentinum, ses. 23, cap. XVI. *de Reform.* expresse statuit, ut beneficia, quæ curam animarum retinent, « deinceps in simplex beneficium, etiam assignata vicario perpetuo congrua portione, non convertantur: non obstantibus quibuscunque gratiis, quæ suum plenarium effectum non sunt consecutæ. » Quo decreto non solum prohibita est unio totius parochialis Ecclesiæ cum simplici, sed etiam unio alicujus partis fructuum ad eam spectantium: prout sæpius censuisse sacram congregationem concilii, refert Garcias, cit. part. XII. cap. II. n. 88. adducens in terminis tales declarationes ejusdem. Harum prima sic sonat: « Parochiales ecclesiæ in simplex beneficium converti non possunt, quod intelligendum est etiam in aliqua parte fructuum ipsius parochialis. » Secunda: « Nec ordinarius dismembrare potest beneficia curata, ac unire beneficiis simplicibus. » Quarta: « Non poterit ordinarius separare ab ecclesiis parochialibus beneficia simplicia, sive oratoria, si illis unita essent, etiamsi illis separatis parochiales non egeant. » Nec immerito: nam in toto, partem non est dubium contineri, justa reg. 80. jur. in 6. ergo prohibita unione totius beneficii curati cum simplici, etiam unio partis reddituum ejus sic prohibita intelligitur.

32. *Suppressio beneficii, quid? Est prohibita.* — Quæritur III. Quid sit suppressio beneficii, et quomodo illicita? Resp. I. Suppressio est totalis extinctio beneficii, Et hæc similiter sine causa fieri nequit, arg. c. *Ex parte* 12. *de Constitut.* ubi dicitur, quod non possint canonici sine causa restringere numerum canonicatum, seu præbendarum; cum non debeat divini Numinis cultus minui, sed potius augmentari.

33. *Ex gravi tamen causa potest fieri. Canonicatus ob tenuitatem reddituum, quando possint supprimi?* — Resp. II. Nihilominus ex gravi causa, puta, ob tenuitatem ac insufficientiam reddituum et servatis solemnitatibus a jure requisitis, potest etiam fieri suppressio beneficii. Ita Glossa in c. *Cum accessissent*, §. *Confirmatum de Constitut.* ubi probat posse canonicos, etiam sine licentia domini Papæ, ex causa suppressione præbendam, ac minuire numerum canonicorum. Idipsum expressius de facto habetur decisum in concilio Tridentino, Sess. 24. cap. XV. *de Reform.* ibi: « In Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant: liceat episcopis cum consensu capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire: vel, si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum Patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus quotidianis applicentur, eas ad pauciorum numerum reducere: ita tamen ut tot supersint, quæ div. do. cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commode valeant respondere: non obstantibus, » etc. Hactenus concilium.

34. *Potest canonicatus supprimi duntaxat per episcopum; non per ejus vicarium, vel capitulum Sede vacante.* — Circa quem textum notant doctores, ac signanter Barbosa, tract. *de Canonicis*, cap. III. n. 21. et Garcias, part. XII. *de Benefic.* cap. II. 75. et seqq. allegans multiplicem declarationem sacre congregationis; cum concilium Tridentinum loc. cit. non utatur verbo *Ordinarius*, quod latius patet (comprehendit enim etiam capitulum Sede vacante, et vicarium generalem episcopi, et alios prælatos jurisdictionem quasi episcopalem habentes) sed solum dicat, « Liceat episcopis, » etc. dictam facultatem non convenire aliis, nisi solis episcopis: adeo, ut neque vicarius episcopi, neque capitulum Sede vacante, neque abbates etiam exempti, ac jurisdictionem quasi episcopalem habentes, possint talem suppressionem præbendarum facere; sed istud vi præfati concilii competat solummodo episcopis cum consensu capituli sui. Notanter tamen dicitur, « talem suppressionem præbendarum, » etc. Nam quod attinet unionem simplicium beneficiorum cum præbendis tenuibus, eam quidem nequit

facere capitulum Sede vacante vi memorati concilii Tridentini, ob rationem proxime dictam: bene tamen aliunde, seu ex vi juris communis, juxta dicenda n. 64. Neque enim istud fieri posse, negat concilium loc. cit. sed solum ibi non concedit, nisi episcopo; ac in simili notat Garcias, d. cap. II. n. 81.

35. *Dignitas ob tenuitatem reddituum nequit supprimi absque auctoritate Sedis apostolicæ.* — Notat etiam Fagnanus in c. *Cum accessissent*, n. 6. et 7. *de Constitut.* quandoquidem concilium Tridentinum loc. cit. tantum faciat mentionem de suppressione cujuscumque præbendæ, seu canonicatus, casus autem suppressionis dignitatis sit omissus: quod idcirco ob tenuitatem reddituum non possit supprimi dignitas Ecclesiæ cathedralis, vel collegiæ insignis, absque speciali Sedis apostolicæ auctoritate, seu licentia. Nam salva circa hoc manet dispositio juris communis, de qua fit mentio cit. c. *Cum accessissent. de Constitut.* ubi suppressio dignitatis primiceriatus valere dicitur ex eo, quia fuit: « Auctoritate Sedis apostolicæ confirmata. » Et ita etiam sentit Glossa, ibid. §. *Confirmatum.* atque a sacra congregatione concilii decisum fuisse, refert Fagnanus cit. n. 7. (ADNOTATIO XVI.)

## § III.

## DE UNIONE BENEFICIORUM, ET CONDITIONIBUS AD EAM REQUISITIS.

36. *Unio beneficiorum, quid? — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit unio beneficiorum, quibusque modis fiat?* Resp. I. Unio beneficiorum est quædam suppressionis species: atque communiter definitur solet, quod sit beneficiorum ab episcopo, vel alio legitimo superiore facta annexio. Et hæc definitio facile patebit ex dicendis.

37 et 38. *Alia est perpetua et alia temporalis: et quæ?* — Resp. II. Unio beneficiorum est duplex, alia perpetua, alia temporalis. Ita Alfons. Hojeda, *Tractatum*, tom. XV. tract. *de Beneficior. incompatibilit.* part. II. cap. III. n. 1; Rebuffus, in *Praxi benefic.* tit. *de Unionib. benefic.* n. 7; Garcias, part. XII. *de benefic.* cap. II. n. 9. et alii. Et quidem « Unio beneficiorum perpetua est, » quando exprimitur, ut perpetuo duret: ut c. *Exposuisti* 33. *de Præbend.* ibi: « De capellis in perpetuum annectendis. » Item unio censetur perpetua, quæ fit ad perpetuam rei memoriam: hoc enim idem importat, ac ly,

« In perpetuum. » Vel quando fit unio ad beneplacitum Sedis apostolicæ: hæc enim, cum Sedes ipsa non moriatur, durabit perpetuo, nisi revocetur, c. *Si gratiose*. 5. de *Rescript.* in 6. Item unio censetur perpetua, quando fit contemplatione Ecclesiæ, arg. cap. 1. *Ne Sede vacante*, etc. ac notant Hojeda, et Rebuffus, ubi supra, eo quod pariter Ecclesia non moriatur.

Unio temporalis e contra dicitur, quæ fit ad tempus: ut puta, ad vitam ejus, cui conceditur; et sic contemplatione personæ, quæ proinde per illius mortem expirat, arg. c. *Quoniam abbas*, 14. de *Offic. delegat.* cum similibus. In dubio tamen unio censetur facta nomine Ecclesiæ: nam, ubi contrarium non apparet, Ecclesiæ potius favendum est, quam personæ, arg. cap. 1. § *Attendentes*. juncta Glossa, § *Quam Ecclesiæ*. *Ne Sede vacante*, etc. ac notant auctores proxime citati.

39. *Unio beneficiorum variis modis accidere potest; potissimum autem tribus.* — Resp. III. Unio beneficiorum variis modis accidere potest, potissimum autem tribus. Ita Glossa in can. *Et temporis*. 16. q. 1. et alia Glossa, cap. 1. § *Uniendo*. *Ne Sede vacante*, etc.; Alfons. Hojeda, cit. tract. de *Beneficiorum incompatibilitate*, part. II. cap. III. n. 2; Rebuffus, in *Praxi benefic.* tit. de *Unionib. beneficior.* n. 11. et seqq.; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5, § 7, n. 26, 27. et seqq. Fagnanus, c. *Novit*. n. 2. *Ne Sede vacante*, etc.; Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. Episcop.* allegat. 66, n. 2 et alii.

40. 1. *Cum mediante unione ex duobus beneficiis fit unum.* — Primus modus est, cum mediante unione ex duobus beneficiis fit unum: ita videlicet, ut neutrum eorum uniatur alteri, sed ambo simul uniantur. Exemplum hujus habetur can. *Decimas*. § 16. q. 1. ibi: « Papa duos Episcopatus in unum redigere potest. » Talis etiam unio fieret, quando duæ parochiales Ecclesiæ, cæteroquin vicinæ, sed tempore v. g. belli multum destructæ, ita ad invicem uniantur, ut una fiat parochia ex duabus; prout exemplificat Hojeda, ubi supra, n. 2.

41. *Talis unio dicitur extinctiva, seu translativa.* — Et talis unio dicitur extinctiva, seu translativa; eo quod ex duabus Ecclesiis fiat una Ecclesia, sicque altera earum extinguitur, et jura alterius perimantur, seu transferantur in aliam. Fagnanus, in c. *Exposuisti* n. 34. de *Præbend.* Atque mediante tali unione, qua unum beneficium unitur alteri, sec

ambo simul uniantur, unitum illud retinet consuetudines, et privilegia, quæ sunt meliora, et humaniora, seu favorabilia utriusque beneficii, arg. can. *Medicamentum*. de *Pœnit.* dist. 1; Glossa, ubi supra; Fagnanus, c. *Novit* n. 3. *Ne Sede vacante*, etc. et alii.

42. II. *Quando duæ Ecclesiæ ita uniantur, ut una sit superior, et principalis: alia inferior, et alteri accessoria. Et hæc dicitur unio accessoria; seu subjectiva.* — Alter modus, et quidem cæteris frequentior, est, quando duæ Ecclesiæ ita uniantur, ut non coalescant in unum corpus: sed una sit superior, alia inferior, et accessoria alteri. Et tunc in Ecclesia unita, seu alteri accessoria, debet poni idoneus vicarius, juxta c. *Extirpandæ*. 30. § *Qui vero, de Præbend.* ubi statuitur, ut quando dignitati, vel præbendæ est annexa parochialis Ecclesia, in hac, canonice instituat perpetuus vicarius. Atque talis unio appellatur accessoria, seu subjectiva; prout ex communi doctorum notat Fagnanus, cit. c. *Novit*. n. 3. *Ne Sede vacante*, etc. soleque fieri pro augmento dotis alterius beneficii, non habentis sufficientes redditus pro congrua beneficiarii sustentatione.

43. *In talicasu Ecclesia principalis censetur tanquam mater, et Ecclesia ei unita tanquam filia.* — Porro in tali casu Ecclesia principalis, seu illa, cui accessorie altera unitur, censetur tanquam mater: et Ecclesia ei unita, tanquam filia. Fagnanus, cit. n. 3. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 5, § 7, n. 15. In quo sensu Ecclesiæ parochialibus annexæ passim solent appellari *Ecclesiæ filiales*.

44. *Ecclesia accessorie alteri unita, assumit naturam, consuetudines, et privilegia principalis.* — Deinde Ecclesia accessorie alteri unita, assumit naturam, consuetudines, et privilegia principalis, cui est annexa, arg. c. *Recolentes*. 3. § *fin. de Statu monachor.* et notat Glossa, cit. cap. un. § *Uniendo*. *Ne Sede vacante*, etc.; Hojeda, ubi supra n. 2. Rebuffus, d. tit. de *Unionib. beneficior.* n. 12; Merlin, dec. 37. n. 1. et 2; Turricel, de *Unione benef.* c. iv. ubi citat Rotam n. 4. et alii. Insuper data tali unione accessoria beneficiorum attenditur tantum qualitas, et natura beneficii principalis; non autem annexi, arg. Clem. *Per litteras, de Præbend.* ubi Ecclesia hospitali accessorie annexa, non debetur habenti litteras apostolicas super provisione Ecclesiæ vacaturæ. Nam mediante tali unione Ecclesia illa assumpsit naturam hospitalis, veluti principalis: hospitale autem vi talium

litterarum non debetur. Huc facit reg. 42. ubi in 6. « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

45. *Atque mutatur status, et natura beneficii uniti: adeo, ut non amplius sit beneficium per se subsistens, sed pars alterius, cui accessorie unitum est. Sicque desinit esse beneficium, hujusque nomen amittit.* — Rursus per hanc accessoriam unionem mutatur status, et natura beneficii uniti: adeo, ut licet antea verit ecclesiasticum beneficium per se subsistens, per unionem prædictam desinat esse ale, et fiat pars alterius, cui accessorie unitum fuit. Oldradus, consil. 257. *Factum tale est*, n. 15. § *Fundata igitur*. Et hac ratione beneficium unitum, mediante unione desinit esse beneficium, atque amittit nomen beneficii; et induit naturam alterius, cui unitur, et accrescit, arg. l. *Si ex toto*. § 1. de *Legat.* et l. *Etiam si*. C. de *Jure dotium*. et § *Si grex*. *Institut delegat.*, ubi eadem jura competunt augmento, quæ competunt rei, cui accrescit. Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5, § 7, n. 2 et 3. post Rotam decis. 11, n. 1, de *Rebus Eccles.* in antiq. plures alios; Fagnanus, in c. *Dudum*. il. 2. n. 31. de *Election.* citans alios.

46. *Beneficium alteri unitum, fit prædium ipsius.* — Quinimo beneficium alteri unitum, fit prædium ipsius, cui unitur. Gonzalez, loc. cit., n. 5; Fagnanus, d. n. 31. et rursus in c. *Novit*. 3. *Ne Sede vacante*, etc. post Rotam decis. 370, alias 11. de *Rebus Eccles. non rhenand.* in antiq.; Cassiodor, decis. 2. n. 2. de *Unione*.: Caputaquen, decis. 349, part. II; Card. Seraphin, decis. 1078, n. 6 et Garcias, d. part. XII, cap. II, n. 12. citans plures alios, ac multiplicem Rotam; quarum una n. causa Compostellana prioratus. 17 martij 1596, coram D. Lita, resolvebat: quod, quando una dignitatis minus principalis unitur alteri principaliori, vel quando unio fit per incorporationem; dignitas minus principalis, vel illa, quæ alteri incorporatur, remaneat suppressa, extinctus titulus, ac facta prædium illius magis principalis, vel cui incorporatur.

47. *Et censetur esse unum duntaxat beneficium. Nec in impetratione principalis beneficii, opus est exprimere beneficium ei unitum.* — Sequitur proinde, quod vi unionis accessorie unius beneficii ad aliud, unum duntaxat censeatur esse beneficium. Garcias, cit. cap. II. n. 14. et alii; estque jam dictum supra tit. V. de *Præbendis*, § 8, n. 208, et § 13,

n. 399. Unde in impetratione principalis beneficii, sufficit illud exprimere beneficium eidem unitum. Joan. Andreas, c. *Super eo*. n. un. de *Præbend.* in 6; Felinus, c. *In nostra*. n. 30, Corollar. 30. de *Rescript.* Hojeda, ubi supra, cap. III, n. 3, et n. 11; Joan. de Selva, *Tractatum*, t. XV. de *Benefic.* part. III. quæst. 12, n. 64, post Rotam Decis. 40. de *Rescript.*; Rebuffus, cit. tit. de *Unionibus benefic.* n. 14; Garcias, d. part. XII. cap. II. n. 20. citans Rotam decis. 786. n. 3. part. I. *Divers.* et plures alios.

48. *Beneficium alteri accessorie unitum, per se nunquam censetur vacare.* — Sequitur ulterius, quod beneficium alteri accessorie annexum, per se nunquam censeatur vacare; juxta textum notabilem in Clem. un. § *Quidam etiam Ecclesias, de Excessib. prælat.*; Garcias, d. cap. II. n. 16; Gonzalez, cit., Gloss. 5, § 5, n. 7, citans plures alios; estque jam dictum supra tit. V. de *Præbendis*. § 13, n. 398 et 399.

49. *Unde non confertur per formam concursus. Et capta possessione beneficii principalis, etiam ejus habetur possessio.* — Unde in collatione ecclesiarum parochialium accessorie unitarum aliis ecclesiis, monasteriis, capitulis etc. locum non habet collatio per formam concursus, juxta dicta cit. tit. V, § 5, n. 142 et 143. Simulque facta collatione, et capta possessione beneficii principalis, habetur etiam collatio, atque possessio alterius, quod accessorie eidem unitum fuit: adeo, ut non sit opus alia beneficii uniti collatione, aut possessionis traditione. Glossa in c. *Gratia*. § *De jure*. et Dominicus, ac Franchus, ibid. n. 6. de *Rescript.* in 6. Gonzalez, d. Gloss. 5, § 7, n. 6. Garcias, cit. part. XII. de *Benefic.* cap. II. n. 21. et 22. allegans alios; ubi etiam in progressu nonnullos alios effectus unionis accessorie enumerat.

50. *Nihilominus per unionem accessoriam non alteratur status Ecclesiæ unitæ; sed debet in ea deserviri, more solito, per vicarium.* — Solum adde, quod per hujusmodi unionem accessoriam unius Ecclesiæ ad aliam, non alteretur, neque alterari debeat status Ecclesiæ unitæ: sed debeat in tali Ecclesia more solito deserviri, arg. c. *Exposuisti*. 33. juncto Abbate ibid. n. 7. de *Præbend.* Garcias, d. cap. II. n. 35. citans Rotam decis. 133. n. 15. part. II. *Divers.* Atque tale servitium Ecclesiæ præstandum est per vicarium, vel perpetuum, vel temporalem, juxta diversitatem beneficiorum, reservata ei congrua portione reddi-

tuum pro sua sustentatione. Quod si beneficium tot redditus non habeat, unde et rectori principali, et substituto ejus vicario, debita portio tribuatur, illud nullatenus est uniendum alteri. Abbas, cit. n. 7. cum aliis.

51. III. *Modus uniendi beneficia est, quando ambæ Ecclesiæ uniuntur æque principaliter, etc. Et tunc rector unius, est etiam rector alterius.* — Tertius modus uniendi beneficia, est quando neutra Ecclesia alteri subicitur, nec ipsæ simul coguntur in unum corpus, sed ambæ Ecclesiæ suum titulum, atque honoris gradum retinent: ac proinde uniuntur æque principaliter, ita videlicet, ut rector unius sit etiam rector alterius. Et secundum hoc manent duo beneficia, v. g. duo episcopatus, arg. can. *Et temporis*, 16 q. 1. juncta Glossa ibid. *¶ Unire*. Fagnanus, c. *Novit*, n. 4. *Ne Sede vacante*, etc. Garcias, cit. part. XII. cap. II. n. 37. allegans plures alios; atque asserens, quod unio facta æque principaliter, aliud non operatur, nisi ut rector unius sit etiam rector alterius: de reliquo autem utrumque beneficium maneat beneficium, sicut prius: gaudeatque propriis redditibus, privilegiis, honore etc. nisi quod subsint eidem rectori. Quin imo si talis unio fiat, non in perpetuum, sed ad vitam duntaxat rectoris; in effectu est quedam dispensatio retinendi plura simul beneficia, etiam de se incompatibilia.

52. *Uniones beneficiorum, a quo possunt fieri? Episcopatus unire, pertinet ad solum romanum pontificem.* — Queritur II. A quo possint fieri uniones beneficiorum? Resp. I. Unire episcopatus, ad solum pertinet Romanum Pontificem. Ita textus expressus in c. *Sicut unire*, 8. *de Excessib. prælat.* ibi: « Sicut unire episcopatus, atque potestati subicere aliena, ad summum Pontificem pertinere dignoscitur. » Nam, ut notat Glossa, ibid. *¶ Pertinere*: et alia Glossa, in c. *Quod translationem ¶ Reservata. de Offic. legat.* unio episcopatum pertinet ad majores Ecclesiæ causas solique papæ specialiter reservata.

53. *Potest Papa etiam omnia alia beneficia unire.* — Potest autem Papa non tantum episcopatus, sed etiam omnia alia beneficia unire: quia habet plenariam in istis potestatem, c. *Licet*, 2. *de Præbend.* in 6. et Clem. 1. *§ fin. Ut lite pendente*, etc.

54. *Episcopus, subsistente justa causa, etc. potest unire beneficia suæ diocesis.* — Resp. II. Episcopus etiam, spectato jure communi, atque subsistente justa causa, et concurren-

tibus aliis requisitis, potest unire beneficia suæ diocesis. Ita communis; et patet ex cit. c. *Sicut unire*, 8. *de Excessib. prælat.* ubi immediate subjungitur post verba proxime relata: « Ita Episcopi est ecclesiarum suæ diocesis unio, et subjectio eorundem. » Unde ibidem irritanda dicitur unio, per inferiorem, prælatum sine consensu episcopi diocesanæ facta de sua ecclesia; non obstante etiam assensu vel confirmatione per metropolitanum interposita; hic enim in diocesi sui Suffraganei, absque ipsius assensu, non debet aliquid contra constitutiones canonicas attentare, prout ibidem loquitur Pontifex. Accedit ratio: quia ad episcopum ipso jure pertinet cura ecclesiarum, seu beneficiorum in sua diocesi existentium, c. *Cum non liceat*, 12. *de Præscription.* et can. *Si quis episcopos*, 16. q. 5. cum similibus: ac proinde ad episcopum pariter pertinet unio beneficiorum, quando justis de causis est facienda.

55. *Demptis beneficiis exemptis.* — Limitatur tamen data conclusio in beneficiis exemptis: nam hoc ipso, quod talia sint exempta a jurisdictione episcopi, non poterit illa episcopus unire, sed recurrendam erit ad Papam. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. Episc.* allegat. 66. n. 9; Garcias, part. XII. *de Benefic.* cap. II, n. 62, et alii.

56. *Potest episcopus unire beneficia Papæ reservata; et qualiter?* — Hoc tamen non obstante potest episcopus unire beneficia Papæ reservata, dummodo ex tali unione præjudicium non fiat expectanti beneficium reservatum: unde si Papa reservavit certum beneficium in favorem Titii, poterit quidem beneficium illud per episcopum uniri alteri, validaque erit talis unio, sed unio hæc non habebit effectum suum, donec Titius moriatur, aut eodem beneficio privetur, vel sponte illud dimittat. Abbas, c. *Sicut uniri*, n. 7. *de Excessib. prælat.* Hojeda, cit. part. II. *de Beneficior. incompatibilib.*, cap. IV. n. 7; Rebuffus, in *Præxi Benefic.* tit. *de Unionib. benefic.* n. 31; Garcias, d. cap. II, n. 92; Barbosa, ubi supra, n. 7. post Rotam decis. 4 et 6. *de Rebus Eccles. non alienand.* in antiq. et alios. Accedit ratio, quia reservatio papalis non tangit, neque impedit aliud, quam collationem ab interiore faciendam; ac proinde ea non obstante, potest per episcopum fieri unio illius beneficii reservati: ita tamen, ut ex tali unione non præjudicetur Titio expectanti, sed ipsius unionis effectus suspendatur usque ad mortem, vel resignationem Titii.

57. *Secus, quando Papa sibi retinisset quæcumque dispositionem quoad beneficium.* — Secus foret dicendum, quando Papa non simpliciter reservasset sibi collationem beneficii quoad titulum, sed quæcumque aliam dispositionem quoad illud sibi retinisset: tunc enim, qui ty, « Dispositio, » est verbum generale, non posset episcopus uniendo, vel alia ratione, de eodem disponere. Abbas, et Barbosa, ubi supra. Quod ipsum alii intelligendum censent de beneficiis perpetuo reservatis collationi Papæ; ut, juxta regulam quartam Cancellariæ, est prima dignitas post pontificalem in Ecclesia cathedrali: quia tunc episcopus non poterit unire tale beneficium. Hojeda, cit. n. 7; Garcias, d. cap. II, n. 93.

58. *Uniones beneficiorum ad tempus nequit episcopus facere, sed solum Papa.* — Limitatur secundo præfata conclusio in unionibus ad tempus, seu ad vitam beneficiarii. Hæc enim, cum contra formam juris communis fiant in favorem personæ, non principaliter in favorem Ecclesiæ (sicut unio perpetua) simulque in effectu idem sint, ac dispensativa collatio plurium beneficiorum: nequeunt fieri per episcopum (ime nec per legatum apostolicum, absque speciali facultate sibi concessa) sed per solum Papam. Azorius, part. II. lib. VI. cap. XXVIII. q. 17; Garcias, eod. part. XII. cap. II. n. 84; Barbosa, d. allegat. 66. n. 8; Pirhing, tit. *de Præbend.* n. 205. et alii.

59. *Facultas uniendi beneficia, spectato jure communi competens episcopis per concilium Tridentinum, est restricta in nonnullis casibus.* — Resp. III. Facultas uniendi beneficia, spectato jure communi episcopis competens, de facto per concilium Tridentinum est restricta in nonnullis casibus: uti videre est apud Garciam, loc. cit. n. 86. et seqq. et Barbosam, n. 26. 29. et seqq. et alios: atque patet inductione.

60. *Sic beneficia unius diocesis, de facto nequeunt uniri beneficiis, monasteriis, etc., alterius diocesis.* — Sic imprimis, juxta concilium Tridentinum, sess. 14. cap. IX. *de Reform.* beneficia unius diocesis nulla ratione possunt uniri beneficiis, monasteriis, collegiis, etc. alterius diocesis: idque saluberrime statutum fuit, « ut ordo Ecclesiasticus non confundatur: aut una et eadem Ecclesia duarum quodammodo diocesium fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint, » prout loquitur concilium

ibidem. Secus erat de jure antiquo: tunc enim integrum erat episcopo, unire beneficium suæ diocesis cum alio alterius diocesis, accedente tamen consensu episcopi illius. Garcias, ubi supra n. 86; Barbosa, n. 29; Hojeda, cit. cap. III. n. 6; Azorius, d. cap. XXVIII. quæst. 17.

61. *Ecclesiæ parochiales nequeunt amplius uniri monasteriis, dignitatibus, etc., bene tamen aliis parochialibus.* — Deinde concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XIII. *de Reform.* restrinxit jus commune, constituendo inter alia, ut « Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatibus seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur. » Quo tamen decreto non esse prohibitum, quin Ecclesiæ parochiales cum aliis parochialibus, vel curam animarum habentes cum aliis similibus uniantur, censet Azorius, cit. quæst. 17. Quinimo « facere uniones perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium, et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, » etc. exresse idem concilium, sess. 21. cap. V. *de Reform.* concessit episcopis, et quidem « etiam tanquam apostolicæ Sedis delegatis: » sicque sub ampliori forma, quam fieri poterat spectato jure communi.

62. *Beneficia regularia nequeunt uniri præbendis tenuibus. Sicut et beneficia libera non possunt uniri Ecclesiis patronatis.* — Tertio, a facultate uniendi beneficia simplicia præbendis tenuibus ecclesiarum cathedralium, et collegiarum insignium, excipiuntur beneficia regularia in concilio Tridentino, sess. 24. cap. XV. *de Reform.* ibi: « Non tamen regularia. » Idemque concilium sess. 25. cap. IX. *¶ Insuper de Reform.* prohibet fieri « uniones de beneficiis liberis ad Ecclesias juris patronatus, etiam laicorum, subjectas: » de quo plura ibidem subjunguntur.

63. *Legatus a latere potest unire beneficia suæ provincie.* — Resp. IV. Legatus a latere, cum sit major episcopo, possitque omnia in sua provincia, quæ episcopus in sua diocesi, arg. cap. I. *§ fin. de Offic. legat.* in 6. potest etiam ex causa legitima, ac servatis cæteris solemnitatibus, unire beneficia suæ provincie; Rebuffus, cit. lit. *de Unionib. benefic.* n. 24; Hojeda, ubi supra, cap. III, n. 7; Garcias, d. part. XII, cap. II, n. 65; Pirhing, tit. *de Præbend.* n. 207. et alii, post Rotam,